

36d

37
Ba

George Frederic
de Boortel

+

73.

I. N. J.

DISPUTATIO JURIDICA,

ad tit. ff. & C.

De

PIGNORATITIA
ACTIONE VEL
CONTRA.

Quam

Divinâ auxiliante Majestate,

Ut &

*Nobilissima ac Amplissima Facultatis Juridica
consensu & autoritate,*

IN ELECTORALI VIADRINA,

Sub Præsidio

Viri

Nobilis, Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi

DN. JOACHIMI DECHE RI

J. U. D. Cod. Profes. dignissimi,

Fautoris, patroni, & Præceptoris, ut & hospitis sui impendio
colendi, honorandi:

Publicæ Eruditorum ventilationi officiosè

submittit

DANIEL BOOTS Hamburgensis,

A. & R.

ad diem 3. Novemb. loco horisq; solitis.

Typis Kochianis exprimebat Joan. Ernestus Acad. Typographus,
Anno M DC LIII.



V I R O

Nobili, Amplissimo & Consultissimo

Dn. SEBASTIANO ALMERS,

J. U. D. Reipubl. Bremensis Senatori gravissimo.

*Admodum Reverendo, Clarissimo &
Excellentissimo,*

Dn. GERHARDO MEIERO,

S. S. Theolog. Licentiato, ejusdemque Facultatis in
Athenæo Bremensi Profes. ordin. digniss., ibidem-
que Gymnasii Pædagogarchæ felicissimo, hospiti
olim suo honoratissimo:

Ut &

V I R I S

Speçtatisimis & Prudentissimis

**DN. MEINHARDO Neuhaus /
DN. MATTHIÆ Neuhaus /**

Civibus ac Mercatoribus Berolini & Coloniae cis
Suevum Primariis:

Dominis Patronis, Fautoribus, Promotoribus
& Affinibus respectivè suis

*Exercitium hocce Academicum in debita observantia
monumentum, animiq; gratisimi teseram,
officiosâ mente ac manu*

D. D. D.

DANIEL BOOTS A. & R.



P. D. M.



Obilissimæ huic materiæ de Pignora-
titia actione, ut & subtili, experien-
tiâq; teste, admodum frequenti, ca-
lamum applicaturus, à pomposa ni-
mis commendatione ejusdem telam
Disputationis ut exordiar, operæ pretium esse
haud arbitror: cum sese sponte ejus dignitas abun-
dè ostendet, utilitas meridiano Sole clariùs eluce-
scat, necessitas cœcutientium etiam manus incur-
rat. Quocirca trito sermone proverbio auscultans:
Nobilivino non opus esse suspensâ hæderâ; ab ube-
riore præsentis materiæ commendatione, ne ipsa,
utramq; sine dubio paginam occupatura, tempo-
ris angustiam pariat, abstinere me consultiùs esse
præsumo. Ideoque, cœpta ut felici pede currant,
feliciori autem decurrant, in nomine Domini no-
stri Jesu Christi ad omnia consilia, omnesq; actus
progredior *1. in nomine. 2. C. de offic. præf. præf.*
Afric. Sit itaque

Thes. I.

Pignoratitia & Hypothecaria actio sunt diver-
sa, *a.* sed tamen quoad effectum tantum est nomi-
nis sonus. *b.*

A z

a. Vox



a. Vox pignoris unde originem trahat, traditur in *l. plebs. 238. §. pignus. 2. ff. de V. S.* nimirum à pugno, quòd manu tradatur. Quæ derivatio non impedit, quòd minùs etiam immobilia pignori dari possint, quasi manu tradi nequeant: cùm tamen manu attrectari & accipi possint, dum illorum substantiæ pars aliqua pugno clauditur: *uti tradit Salicet. in l. si rem. 9. §. propriè: 2. ff. de pign. act. l. 2. §. fin ff. de relig. & sumt. fun.* Hinc pignus & hypotheca nominis tantùm sono differre dicit *Martianus in l. res hypothecæ, §. §. 1. ff. de pign. & hypoth.* Veruntamen accuratè loquendo inter pignus & hypothecam diversitatem esse, rectè dicimus. Etenim pignus in mobilibus, quæ Creditori traduntur; hypotheca verò in immobilibus citra traditionem ex nuda conventionione ferè obtinet. Quæ differentia etiam ad actiones usque extenditur. Differt enim actio pignoratitia ab hypothecaria, quòd illa nascatur demum ex rei interventu *§. fin. Instit. quib. mod. re contr. oblig. & pro pignore repetendo, sorte solutâ, competat: hæc verò ex solo consensu resultet, vel ex nuda conventionione, & nihil ad Creditorem transeat, l. 17. §. de pignore. 2. ff. de pact.* sed res hypothecata manet apud debitorem, ita ut, soluto debito, hac actione pignoratitiâ non sit opus, cùm peterè non possit debitor, quod ipse penes se habet *§. sic itaq. 14. Inst. de actionib.* Est etiam hypothecaria hæc actio in specie realis *l. pignoris. 17. ff. de pignor. & hypoth. l. pignoris 18. C. eod.* & datur Creditori ob jus reale constitutum adversus debitorem in solutione morantem, aut contra quemcunq; possessorem pro re apprehendenda. Unde satis earum differentia liquet.

b. Sed quoad effectum pignus & hypotheca non differunt, cùm utrumque rem afficiat, & in eventum ad distractionem tendat *l. 1. ff. de distract. pign.* Ideoque quoad effectum tantùm est nominis sonus.

Th. II.

Th. II.

Actio Pignoratitia alia est directa, *a.* alia contraria. *b.*

a. Illa in thesibus subsequentibus ad ultimam usque primo loco, quàm poterit fieri compendiosè & succinctè enucleabitur, ne in nimiam nostra Disputatio excrescat paginam.

b. De hac, quæ datur Creditori, ut si quid in pignus impenderit, id consequatur, in thesi ultima dicemus. Circa hanc autem distinctionem occurrit mihi quæstio: An nimirum directa & contraria actio Pignoratitia possint concurrere? Affirmo per *l. si necessarias 8. ff. de pign. act. l. 7. in fin. C. eod.* Directa namq; debitori, contraria creditori datur pro quibuscunq; expensis factis in pignora.

Ad perscrutandum naturam hujus actionis Pignoratitiæ directæ operæ pretium erit dispicere, cui, contra quos, ad quid detur, & ad quem periculum pignoris amissi pertineat.

Th. III.

Actio Pignoratitia directa est personalis, *a.* & demum solutâ sorte nascitur, *b.*

a. *l. fin. C. de distract. pign. Bart. & alii in l. 18. C. de pignorib.* Nascitur enim ex contractu, unde singularem successorem, cum quo non est contractum, non sequitur, *Bald. in c. 1. in fin. in usib. feud. in t. de feud. dat. in vim. leg. commiss.* Quemadmodum quidem actio hypothecaria quemlibet possessorem rei sequitur; sed datur hæc pignoratitia tantum adversus personam obligatam, videlicet adversus Creditorem & ejus hæredem. Ideoq; cum Creditor ex præcedente contractu pignoratitio obligatus sit ad restituendum, rectè dicitur hæc actio personalis.

b. Solutio est fundamentum hujus actionis. Sed intellige, si plenariè & in totum facta est solutio, tunc licet adversus Creditorem agere, ut pignora pro debito obligata, integra & salva restituat *l. quamdiu 6. C. de distract. pign. l. 8. §. 2. ff. de pign. act. arg. l. solutum. II. §. 4. ff. d. t.* Totum debitum, i. e. fors cum accessionibus, solvi debet, antequam locus sit actioni Pignoratitiæ *l. 9. §. 3. ff. d. t.* Debitum enim particulariter invito Creditori solvi non potest 1. quia nõ debet alteri per alterum iniqua conditio inferri *l. non debet. 74. ff. de R. J.* per partes enim solutionem admittere, grave & incommodi plenum est *l. planè 3. ff. famil. ercisc. 2.* quia solidum non solvit, tam is, qui nihil, quàm qui non totum. solvit *l. ut si 12. §. 1. l. minus. 32. ff. de V. S. l. solidum 85. ff. de solut. §. liberat. per text. etiam in l. sed mihi 3. §. 1. ff. commod. l. Julianus 9. §. 3. ff. ad exhibend. l. 18. §. Celsus 4. ff. fam. ercisc.* imò nec, si pars major debiti sit soluta, pignus pro parte liberatũ est *l. 6. C. de dist. pign. l. 19. ff. de pignorib.* Pignoris enim causa est individua *l. 65. ff. de eviction.* Quæri hinc solet: num etiam quis ante solutionem agens pignoratitiã directã, possit, soluto postmodum debito, pignora consequi, cum non rectè egerit? Posse eum consequi, probo *per l. 9. §. fin ff. h. t.* modò in judicio pecuniam debitam ante conclusum in causa offerat: nam si superveniret post conclusum, videretur supervenire post sententiam laram, & non prodesset. Nec totum debitum intelligitur esse solutum, neq; Creditori satisfactum, si solvantur nummi reprobi, quia reproba pecunia non liberat solventem *l. eleganter. 24. §. 1. ff. de pign. act.* Neq; solutio intelligitur esse facta, si debitor expromisforem dare velit, proinde etiam eo casu pignoratitia actio non invenit locum *l. quod si 10. ff. h. t.* Verùm enim verò non solum debito soluto in pecunia, sed si alio quovis modo Creditori satisfactum fuerit, rectè dicitur facta esse solutio,

tio, licetq; hac actione directâ experiri. Veluti, si debitor det alia pignora in locum primorum, consentiente tamen Creditore, per *l. donationis. 34. C. de transact. l. in diem 9. §. 1. ff. de aq. & aq. plu. arc.* Volenti enim neq; vis, neq; injuria fit: & quod consensu contractum est, contrariâ voluntate resolvitur *l. 1. C. quand. lic. ab emt. reced.* Ergo rectè agit debitor actione pignoratitiâ in oblatione aliorum pignorum pro repetendis primis. 2. Si debitor pro liberatione pignorum offerat fidejussores, eosq; Creditor receperit; vel præstet nudam cautionem de solvendo, nascitur ipsi hæc actio directâ. Quoties enim Creditor à pignoribus recedere voluit, satisfactum ipsi esse videtur *text. in l. si rem. 9. §. 3. ff. b. t.* & datur debitori contra Creditorem actio directâ pro repetendo pignore, etiamsi in hoc Creditor deceptus, suâq; facilitate in aliquo læsus sit *d. l. 9. §. 3. in fin. ff. b. t.* Damnum enim, quod quis suâ culpâ sentit, sentire non videtur. Obtinet hoc etiam eo in casu, in quo per novationem voluntariam à primis pignoribus recessum est, *l. 11. §. 1. ff. b. t.* non verò per necessariam *l. 29. ff. de novat.* 3. Ob solutionem non solum pro re sua, sed etiam pro re aliena Creditori pignori datâ locum habet hæc actio per *l. 9. §. 1. ff. de quog. 4. ff. b. t.* 4. Solutio facta esse intelligitur, non solum si ipsi Creditori, cui res obligata est, verum etiam si alii, voluntate tamen Creditoris, pecunia data est; vel si ei, cui hæres existit, vel Procuratori ejus, vel servo pecuniis exigendis præposito solutum fuerit *l. 11. §. 5. ff. b. t.* vel etiam, si sit solutum Creditori Creditoris mei, qui habebat meum nomen, vel mea bona obligata, & isto casu etiam invito Creditore meo: vel si non haberet meum nomen, vel mea bona obligata, sed esset simplex Creditor Creditoris mei *d. l. 11. §. 5. ibiq; not. Bart. post Gl. & Salic. & Cast.* Idem dicendum, si partem Creditori Creditoris mei, partem ipsi
Cre.

Creditori meo solverim *d. l. ii. §. 5. vers. & si partem. ff. b. t.*
5. Censetur etiam pecunia soluta, adeò ut Pignoratitia
actio locum habeat, si in iudicio debitor actualiter & de-
bità solennitate offerat solutionem, & Creditor recuset re-
cipere: vel si extra iudicium legitimè offerat, deponat &
consignet, & Creditor nolit recipere *l. 20. §. 2. junct. Gl. ibi in
vers. agitur. ff. de pign. act. l. 12. C. eod. Negus. de pignorit. & hypoth.
part. 7. memb. 2. n. 12.* Siquidem per Creditorem stetit, quò
minus pecuniam acceperit *l. 10. in pr. & l. ult. C. b. t.* Sed de
hac oblatione solenni & consignatione pecuniæ egregium
scripsit tractatum GEORG. SCHULZ/ in quo prolixè perse-
quitur, quo pacto solennis oblatio liberet debitorem &
cursum usurarum sistat; quem, vide sis; quia nostri non
est instituti ex multis autoribus multa huc transcribere,
ne nimium excurrat Disputatio. 6. Potest etiam hoc mo-
do satisfieri: ita ut actione Pignoratitiâ debitor agere pos-
sit: si nimirum Creditor de fructibus, quos percepit, vel
quos percipere potuit, ac debuit ex re obligata, tantum
consecutus est; ut sors absorpta sit. Etenim fructus ipso
jure debitum imminuunt, & in solutionem computan-
tur *l. 22. §. 2. ff. b. t.* 7. Solvisse etiam videtur debitor sor-
tem, si à Creditore pignus, quod dedit, emerit: frustra
enim est hæc emtio; cum suæ rei nulla sit emtio. Itaque
hac actione pignus petere potest, pretiumq; in sortem im-
putari debet: & si id minus sit debito, tenetur debitor,
quod deest, supplere *l. 40. ff. b. t.* 8. Idem est ac si solutum
esset, quando pignus sine causa apud Creditorem reperi-
tur, utpote si debitor sub spe futuræ numerationis pecu-
niæ Creditori tradidit pignus, tunc quia obligatio pigno-
ris non fuit completa, actione pignoratitiâ pignus à Cre-
ditore repetere potest *l. solutum. ii. §. novata 1. & §. si quasi 2. ff.
b. t.* Probè verò hic notandi casus, qui è diametro supe-
rioribus

rioribus videntur esse contrarii: in quibus debitor, totâ
etiam sorte solutâ, non potest agere actione Pignoratitiâ.
Si nimirum 1. Creditor pignus suum à Debitore emerit
d. l. 20. §. fin. ff. b. t. Debitor enim nihil juris ampliùs habet
in pignore, cum per venditionem plenum dominium in
Creditorem sit translatum, quocirca illud à Creditore re-
petere non potest, qui exceptione dominii supervenientis
debitorem repellere potest. Neq; offerens postea debitor
sortem cum usuris revocare potest venditionem *l. Titius 34.
ff. b. t.* 2. Cesât actio Pignoratitia, etsi solutum sit debitum
Principale, si etiam in usuras pignus sit obligatum: donec
& usurâ debitâ solvantur *l. ii. §. 3. ff. b. t.* Pignoratitia enim
locum priùs non habet, nisi soluto eo, propter quod ob-
ligatum est *d. §. 3. b. t.* 3. Soluta etiam debito non oritur
debitori hæc actio, si pignus pupillo absq; tutoris autori-
tate sit datum: pupillus enim, uti non potest dare pignus
sine autoritate tutoris *l. 1. ff. quæ res pign. obl. pos.* ita nec re-
cipere, ut ex eo obligetur actione Pignoratitiâ *text. & ibi gl.
in l. 38. ff. b. t.* nisi pupillus ex eo factus sit locupletior *in pr. l.
de aut. tut. vers. namq; placuit.* 4. Imò neq; soluto integro de-
bito, unâ cum usuris *d. l. ii. §. 3.* datur debitori hæc actio, si
Creditor vendiderit aliquam ex rebus pignoris, & pro-
ca se obligarit de evictione in casibus permisis: donec
enim debitor caveat ipsi Creditori de indemnitate super
dicta evictione promisâ, non potest pignoratitiâ ad repe-
tendum alia pignora agere *d. l. 8. §. 1. ff. b. t. Negus. d. l. n. ult.*
5. Notatu etiam haud indignum hîc est: debitorem eo so-
luto, propter quod obligatum quid est, posse quidem ipso
jure agere hac Pignoratitiâ directâ contra Creditorem pro
repetendo pignore, attamen Creditor pignus etiam alte-
rius debiti nomine retinere potest, nimirum ob pecuniam
Chirographariam, beneficio *l. un. C. etiam ob Chirograph.*

B

Th. IV.

Th. IV.

Pignoratitia actio directa competit debitori, *a.*
adversus Creditorem, *b.*

a. Penes quem est dominium rei oppignoratae. Verum non solum debitori principali, verum etiam procuratori ejus, cui mandatum fuit pignori dare, competit haec Pignoratitia *l. 11. §. fin. h. t. l. 1. ff. de procur. & defens.* Datur etiam ei, cui univerforum bonorum administratio permisa est ab eo, qui sub pignoribus solebat mutuas pecunias accipere *l. 12. ff. h. t.* Nec non tutori & Curatori *d. l. 11. §. ult. ff. h. t.* cum enim pignorare potuerint *l. 16. ff. h. t. l. 3. C. si aliena res pign. data sit.* etiam pignora repetere actione Pignoratitia possunt *Bart. in d. l. 11. §. fin. cum l. seq. ff. h. t.* Servus etiam hac actione experiri potest contra Creditorem pro repetendo pignore, cum & hic pignori dare possit, si liberam peculii administrationem habeat *l. 18. §. fin. ff. h. t.* quae etiam locum habet in filiofamilias *l. eadem & 19. ff. h. t.* Praedo quoque hac actione uti potest adversus Creditorem pro repetendo pignore ipsi tradito, ut & pro fructibus *l. si pignore. 22. §. 2. ff. h. t.* quamvis ipse fructus suos non facit: à praedone enim fructus & vindicari exstantes possunt, & consumti condici *d. §. 2.* Transit etiam ad haeredes debitoris: factum enim defuncti persequi tenentur.

b. Cum quo contractum est, cuique pignus traditum, & adversus ejus haeredem *l. si dominium. 9. C. de pignor. l. ult. C. si vend. pign. agat.* non verò contra alium; quia actio haec est personalis, ideoque tantum contra eum, cum quo contractum est, datur: contractum autem non est cum tertio. E. contra tertium non datur. Facta tamen solutione primo Creditori, vel alia ei data satisfactione, pignus quoad utrumque perimitur, nec datur tertio aliquod jus retinendi vel persequendi *l. debitor 40. §. ult. ff. h. t.* (De jure autem
Ca.

Canonico etiam adversus tertium possesorem dari vo-
lunt quidam per *c. cum contra 6. de pignorib. Bacchov. in not. ad π.*
Wesemb. h. t. n. 7. sed rectius negatur, in proposito textu esse
actionem pignoratitiam, aut in rem scriptam. Verius est,
inibi esse implorationem officii judicis.) Imò si saltem,
fingatur traditum esse pignus. Siquidem locator habet
bona Conductoris tacite obligata pro pensione, juxta
l. item quia. 4. ff. de Pact. & l. certi juris 5. C. de locat. & cond. Ex
eo enim, quòd ea locator includere potest pro sua pensio-
ne, finguntur ei tradita: & ideo solutâ sorte, potest condu-
ctor agere contra locatorem directâ pignoratitiâ pro resti-
tutione bonorum, quamvis ea verè tradita non fuerint.

Th. V.

Directâ hac actione pignoratitiâ agitur ad re-
petendum pignus tam conventionale, *a.* quàm
prætorium. *b.*

a. l. debitor. 40. §. fin. ff. d. pign. act. Conventionale pi-
gnus est, quod per expressam conventionem contrahitur.
Non autem solùm pignus, (& quidem in eo statu intrin-
seco, vel in eadem qualitate, in qua fuit tempore pignora-
tionis) sed etiam fructus perceptos & quos percipere po-
tuit *Trentacinq. t. de pign. resol. 2. n. 9.* vel restituere, vel impu-
tare in sortem, volente debitore, Creditor tenetur *l. 1. 2. &*
3. C. de pignor. act. l. si dominium. 9. C. d. pign. l. 1. C. d. distr. pign.
Non enim Creditor ex pignore aliquid lucrari debet *arg. d.*
l. 3. C. b. t. Sic si Creditor pignus pluris suo credito vendi-
derit, non nuda pignoris æstimatio, sed & illud plus cum
usuris est restituendum, *Br. & Paul. de Cast. in l. 6. §. fin. cum l.*
seq. ff. b. t. & l. 42. ff. eod. si nimirum illud plus, (ex causa scil.
lucrativa) Creditor non obtulit & deposuit, (debitore re-
cusante recipere) quia, cum ista sit actio bonæ fidei, ve-
niunt in ea usuræ à die moræ *per d. l. 6. §. fin. & l. seq. ff. b. t.*

B 2

De

De Avtrogenis hinc incidit quaestio: an nimirum ea conventio, licet fructuum perceptio legitimum usurarum modum excedat, valeat? Affirmare hoc ipsum conor *per text. expres. in l. si ea lege. 17. C. de usuris.* ubi dicitur, conventionem hancce, obtentu majoris percepti emolumenti, propter incertum fructuum eventum rescindi non posse. Adde *l. si is. ii. §. 1. ff. d. pignor. & l. 33. ff. b. t.* Commisorio autem pacto actio haec Pignoratitia locum planè denegat *l. fin. C. d. pact. pign. & d. lege commiss.* Porro bene hinc etiam notandum, non patere debitori liberam electionem, quo nomine exonerari pignus suum malit, (si nimirum & fortis nomine & usurarum, Creditori quid ab eo debetur) sed quicquid ex venditione pignoris recipit, primùm usuris, quas tunc deberi constat, deinde, si quid superest, sorti accepto ferendum est *l. 35. ff. b. t. l. is cui. 5. §. quari. 21. ff. ut in pos. leg. vel fideic. serv. caus. esse lic.* Si verò emtor Creditori nondum solverit, debitor non potest pignoratitio iudicio Creditorem ad superfluum ex venditione reddendum cogere, sed actione mandati contra emtorem, periculo tamen venditoris, agere potest *per l. eleganter 24. §. 2. ff. b. t.* Res autem pretiosas Creditori, ut pignori apud alium Creditorem poneret, commodatas debitor non priùs à Creditore suo repetere potest, quàm si eas Creditor, solutione factâ receperit: voluntate enim domini nexæ videntur *l. petenti. 27. ff. b. t. & l. 3. C. commod.* Observandum tamen Creditorem, quamvis possit, si velit, agere contra debitorem, ut solvat, cogi tamen non posse: verùm debitorem, si pignus sibi velit restitui, teneri debitum ipsi Creditori offerre & deponere. *Bl. in l. Creditor. 23. ff. de pign. & l. un. C. ut nem. inv. cog. ag.* Quari hinc tandem haud inconvenienter potest: num Creditor possit contra debitorem agentem hac pignoratitiâ excipere de dominio? Distinguendo hinc respondemus: Si Creditor

ditor excipiat de suo dominio, exceptio admittitur: secus, si de dominio debitoris: ut si dicat, *tu non es dominus*: de substantia enim actionis pignoratitiæ non est, ut debitor sit dominus pignoris: licet ad constituendam hypothecam & hypothecariam actionem requiratur bene, ut debitor sit dominus. Excipe, quando res, in qua debet fieri executio, non existat: quia tum potest opponi exceptio domini ad effectum, ut per hoc conventus teneatur solum ad æstimationem possessionis, non autem proprietatis rei *per l. si mulier, 21. §. 2. ff. quod met. caus. nisi Creditor dolum commiserit, vel delictum, ut vult Bart. in l. commodare. 15. ff. commod. per l. 34. C. locat. & l. 10. C. unde vi.*

b. Prætorium est, quando ex primo decreto missio fit à iudice in bonorum possessionem *l. 26. §. 1. ff. de pignor. act.* Quod si tunc debitor solvat, vel offerat, vel deponat suum debitum Creditori, potest actione pignoratitiâ à Creditore repetere bona, in quibus facta est missio: *casus est, & ibi not. in l. inquilino. 33. cum l. seq. ff. d. damn. infect. & in l. is cui. §. 21. ff. ut in poss. legat. & ibi Bartol. Negus. d. pign. part. 7. memb. 3. n. II.*

Th. VI.

Naturâ actionis Pignoratitiæ ita adumbratâ, haud erit difficile dare definitionem, quæ ex jam dictis sic formari poterit: Pignoratitia actio est bonæ fidei personalis, *a.* quæ datur debitori, *b.* adversus Creditorem, *c.* soluto in totum debito, *d.* ut rem pignoratam, unâ cum fructibus, & cum iis, quæ ex bono & æquo præstanda veniunt, *e.* non verò deterioratam, restituat, *f.*

a. Bonæ fidei est hæc actio *per §. actionum. 28. §. de action.* & quia ex contractu pignoratitio oritur, atq; per obligationem

tionem inter dantem & accipientem est contracta, rectè dicitur personalis.

b. Ei scil. qui fuit debitor, postea autem se debito exoneravit, vel domino pignoris. In contractu enim pignoris dominium penes debitorem manet, possessione ad Creditorem transeunte, (& manente apud eum, etiamsi pignus illud domino locârit postea *l. 37. ff. b. t.*) *l. res pignoris. 37. ff. d. acq. & amitt. poss.* & quidem verâ, etiamsi non plenâ, quæ stipata sit omnibus effectibus.

c. Videatur *rbef. 4. lit. b.*

d. Nisi enim debitum in totum solvatur, aut eo nomine Creditori satisfactum sit, pignorititia actio non nascitur *per l. si rem alienam. 9. §. 3. & l. solutum. II. §. 4. ff. h. t.* Satisfactum verò est Creditori non tantùm solutione pecuniæ, sed quoties habet causam, quòd à pignore velit recedere *d. §. 3.* Uti dictum abundè satis est *sup. rb. 3. lit. b.*

e. Non aliam, sed eam ipsam, quæ pignori data. *l. 10. C. b. t.* dominium enim non est in hac actione translatum. *l. pignus. 9. C. b. t. l. 35. §. 1. ff. cod.* Jam verò invito domino aliud pro alio solvendum non est *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. arg. princ. 7. quib. mod. toll. oblig.* Et tenetur ea, quæ ex æquo & bono præstanda veniunt, præstare, quia in actione b. f. non tantùm ea, quæ expressa & conventa fuerunt, sed etiam, quod æquum est, præstari debet.

f. Liberum enim restituere debet pignus, non deterius factum, non corruptum, alioquin damnum præstabit, & quod interest *d. l. 9. §. fin. ff. b. t. & l. 22. §. fin. b. t.* Etiam de dolo repromittere debet debitori *l. Creditor 15. ff. b. t.*

Th. VII.

Rei pignoratæ sine culpa Creditoris amissæ periculum pertinet ad debitorem.

L. 18. & l. pignus 9. l. 5. & l. seq. C. h. t. Creditore tamen
nihilominus integram habente actionem personalem de-
biti repetendi adversus debitorem, nisi conventum sit, ut
amissio pignorum liberet debitum l. 6. C. h. t. Berlich. concl.
pract. part. 2. concl. 33. n. 1. Res enim perit suo domino d. l. 6. &
l. 9. C. h. t. nisi alteri sit debita in individuo, ubi res perit
Creditori l. 23. ff. de V. O. §. 3. I. de emt (ante moram scil., se-
cus post moram l. 5. ff. si tert. pet. & ibi Dd.) nisi etiam jure
speciali quis dominus sit, aut alter omnem ex re utilitatem
capiat Trentacing. lib. 3. t. de pignorib. resol. 4. Jure autem Saxo-
nico paulò aliter est: quo Creditor creditum suum amittit,
etiãsi pignoris absq; culpa ejus amissi periculo non te-
neatur, nec creditum à Debitore exigere potest text. in art.
5. lib. 3. Stirbt aber ein Pferd oder Vieh in der Versatzung/2c.
quam tamen dispositionem enervat conventio Credito-
ris & debitoris, ne Creditor, pignore sine culpa amisso,
cadat credito suo, text. expres. im Land-Recht lib. 3. d. art. 5. vers.
sfr Gelübde stünde dann anders. Neque locum habet hæc
constitutio in reliquis rebus inanimatis, sed tantum in
equis & pecudibus d. art. 5. Gl. lat. ad text. germ. lit. e. nec eo in
casu, si creditor præter securitatem pignoris etiam respe-
ctum habuit ad personam debitoris, & non tantum pi-
gnori confidit, sed in obligatione personæ debitoris ali-
quam fidem posuit, tunc propter amissionem pignoris
actionem personalem adversus debitorem non perdit
Berlich. d. loc. n. 5. Dispositionem autem hanc, tanquam
æquitati naturali omnibusq; juribus mundi contrariam,
Augustus Elector Saxonix aliã constitutione sustulit: ut
nimirum dispositio juris communis in suis ditionibus
observetur Novel. Elect. Aug. const. 26. part. 2. §. Weil aber sol-
che. Iniquum enim est, ut casus accessorii tollant debi-
tum principale l. 178. ff. d. R. J. l. 5. & 6. C. h. t. Creditori au-
tem

tem casum alleganti, quo sine ipsius culpa pignus amisum, probare incumbit *Bald. in l. 6. §. 5. ff. d. edendo n. 2. Br. eod. n. 2. sub fin. Berl. p. 1. concl. 27. n. 19. Ubi n. 20.* distinguit inter illum casum, qui facile sine culpa evenire non solet, ut furtum, incendium: & illum, qui ut plurimum sine culpa contingere solet; ut vis hostium, impetus aquarum: hic de Creditore non, ille verò præsumitur.

Th. IIX.

In directa Pignoratitia actione venit dolus, *a.* lata culpa, *b.* & levis, *c.* non verò levisima, *d.* nec casus fortuitus, *e.*

a. Is enim in omnibus contractibus præstari debet, & non valet conventio, ne futurus præstetur *l. 23. ff. d. R. I. præteritus verò remitti potest. Vid. § l. 13. §. fin. ff. b. t. §. ult. I. quib. mod. re contr. obl. l. 14. § 25. b. t.* Adeò ut etiam Creditor, nisi velit teneri de culpa, expensas necessarias pro indigentia rei facere debeat, ne res pereat, vel deterior fiat. Deinde etiam Creditor in tantum tenetur de deterioratione rei per suam culpam factâ, quòd licet postea illam recipiat simpliciter in solutum à debitore, adhuc tamen debitori obligatus remanebit pro dicta deterioratione & damno, ut est *Gl. solennis in l. eleganter. 24. in pr. in Gl. in fin. in v. forte que. ff. b. t. Negus. p. 7. m. 3. n. 8.*

b. Ea, quoniam dolo æquiparatur *l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod. l. 226. ff. d. V. S.* (cùm sc. agitur de damno resarciendo, non v. de pœna infamiæ, vel corporali, vel capitali) etiam in omnibus contractibus præstari debet. *dd. ll.*

c. Lata & levis in hac actione veniunt, quia hîc utriusq; & debitoris, quò eò magis ei pecunia credatur, & creditoris, quò magis ei in tuto sit creditum, utilitas vertitur *l. 5. §. 2. ff. commod.*

d. Ea

d. Ea enim saltem præstatur, si contractus tantum accipientis gratiâ fiat, quod hîc in hac actione non contingit.

e. Ille enim à nemine præstatur *l. 6. C. h. t. & d. l. 23. d. R. 7.* Nisi 1. Creditor fortè rem sibi obligatam propriâ auctoritate occupaverit *l. 30. h. t.* imò de eo casu tunc tenetur, qui etiam evenisset, si creditor non occupâisset, *juxta not. in l. 5. §. 7. ff. commod. & in l. fin. §. 1. v. idem. ff. ad l. Rhod. d. jact. 2.* Nisi casum præcesserit culpa ad illum ordinata, *ut in l. 1. ff. comm. si verò eodem modo apud dominum periisset, domino imputari debet periculum l. 14. §. 11. ff. quod. met. caus. l. 56. ff. d. l. dot. l. 14. §. 1. ff. depos. 3.* Nisi genus debeatur *l. 11. C. si cert. pet. 4.* Nisi quis casum fortuitum in se receperit, vel casibus renunciaverit: ubi quorundam casuum specialis enumeratio necessaria *l. 4. §. 4. ff. si quis caut.* Insolitus verò nunquam præstatur, nisi in sua specie fuerit expressus *l. 78. §. 3. ff. d. cont. emt. l. 9. §. 2. l. 15. §. 1. & 2. ff. locat. l. 1. §. 1. ff. depos. sub generali n. casuum fortuatorum renunciatione, insoliti non comprehenduntur,*

Th. IX.

Actioni pignoratitiæ directæ ante solutum debitum nullo tempore præscribi potest.

Soluto enim debito, si longissimum tempus effluerit, huic actioni, quia personalis, præscribitur, *arg. l. 10. & fin. C. h. t. junct. l. 3. C. d. præscript. 30. vel 40. ann.* Debito autem non soluto, propterea nullo tempore præscribi potest huic actioni, quia ante oblationem pecuniæ nondum nata est: jam verò actioni nondum natæ non potest præscribi *l. 1. §. ult. sub fin. C. d. ann. exc.* res enim pignori data, usu non capitur: quia pro alieno possidetur, *per text. exp. in l. 13. ff. d. usucap.* atq; ita creditor possidens nullum omnino titulum habet, nec civilem possessionem (sed tantum naturalem *l. 13. §. 1. ff. d.*

C

ff. d. Publ. in rem act. l. 22. §. 1. d. nox. act. l. 3. §. fin. ad exhib. l. 35. §. fin. l. 37. 40. §. ult. b. t. l. 37. d. A. R. D. l. 1. §. 15. l. 36. l. seq. d. acq. poss.) nec bonam fidem d. l. 13. d. usucap. d. l. 13. §. 1. d. Publ. in rem. d. l. 22. §. 1. d. nox. act. quæ necessariò requiruntur, ut præscriptio locum habere possit l. 27. d. usucap. c. 5. c. ult. X. d. præscript. c. 2. d. R. I. in 6. Neque licentiæ luendi pignoris seu juri offerendi (est enim antecedens actionis Pignoratitiæ: si igitur prohibetur consequens, etiam prohibebitur antecedens l. 2. ff. d. juris d. ubi pr. n. 5. & seqq. Jaf. eod. n. 25.) quod est actus meræ facultatis (licet jus Civile adveniat postea, & Pignoratitiam actionem concedat, non, ut demum debitori hanc facultatem, & licentiam luendi indulgeat, sed ut creditorem, qui debitorem reluere volentem non admittit, cogat, & ejus petulantiam coërceat l. 1. & t. t. ff. & C. b. t.) Br. in l. un. ff. d. cond. ex leg. n. 4. & quasi quædam conditio potestativa, unquam præscribitur l. 2. ff. d. via publ. l. 4. §. ult. ff. d. her. inst. l. ult. ff. d. cond. inst. Berl. p. 2. concl. 3. n. 8. & 23. ubi n. 9. & 13. bene distinguit inter actus meræ facultatis, & actus meri juris. Et n. 32. tradit, quòd debitor etiam per pactum facultatem offerendi perdere non possit, scil. si conventum fuerit, quòd debitori non liceat solvere vel offerre, nisi ad beneplacitum Creditoris. Sed limitatur hæc assertio 1. in secundo creditore. 2. in tertio emtore & possessore. Vide-
sis omnino Berlich. d. loc.

Th. X.

Contraria Pignoratitia actio est, quæ datur Creditori adversus debitorem, ut quicquid ei pignoris nomine abest, præstetur.

Sive sumtuum, sive aliâ aliquâ ratione l. 8. pr. l. 9. pr. l. 32. & 36. §. 1. ff. b. t. Sicuti enim directa debitori, ita contraria creditori competit per l. tutor. 16. §. 1. b. t. & Br. in l. 6. C. d. neg.

neg. gest. puta, si res sit apud alium *l. 8. b. t.* si penes se ipsum, datur ei retentio pro expensis. Impensæ autem tantum præstandæ necessariæ, quibus non factis res erat peritura, vel deterior futura *l. 79. d. V. S.* propter quas ipso jure agere licet *d. l. 8.* ut sunt expensæ necessariæ factæ in restaurando domum vel fundum pignorum, in medicandis servis infirmis, vel in illis cibandis *per d. l. 8.* & tunc si tales expensæ sint factæ in conservationem rei, præfertur creditor etiam omnibus aliis anterioribus creditoribus *per text. in l. 5. ff. qui pot. in pign.* Attamen tenetur etiam, si rem pignoratam, puta equum, dederit in vecturam, computare illam cum expensis factis pro dicto equo. *Bl. in l. 2. C. d. part. pign.* Modicæ etiam, ut & utiles impensæ præstari debent, de voluntate tamen expressâ vel tacitâ ipsius debitoris factæ. Tacita autem voluntas est, quando creditor prosequitur expensam à debitore inchoatam, modò debitori non sit onerosa nimis *l. 25. b. t.* nec debitor post inceptam expensam lapsus sit facultatibus, ita ut illam pertexere non potuisset *Paul. de Cast. in d. l. 25.* A iudice autem dispiciendum, ut neq; delicatus debitor, neque onerosus creditor audiatur *d. l. 25.* Quænam aliæ sint rationes, ob quas præter impensas creditor uti possit actione contrariâ, paucis etiam detegemus. I. Est malitia debitoris in dando pignore *l. 9. b. t. in v. malitiosè:* si sciens rem dederit pignori, quam obligare non potuit, quia à testatore ejus obligatio prohibita *l. 38. §. 3. ff. d. leg. 3.* item si servum furem sciens pignoravit *l. 31. b. t.* Si rem alienam etiam ignoranter pignori dederit: si verò scienter ultra pignoratitiam contrariam etiam propter dolum & deceptionem tenetur crimine Stellionatûs *l. 16. §. 1. b. t. §. l. 26. §. 1. eod.* Actio autem hæc contraria procedit, nisi creditor scienter pignori receperit rem alienam, vel alteri obligatam, vel membrofam: quoniam contentus de illis fuit

fuit *d. l. 16. §. 1. ff. b. t.* 2. Fides debitoris rupta: si pignus con-
 ductum creditori restituere nolit *l. 22. §. 3. b. t.* quo casu ob
 fidem ruptam defertur creditori iuramentum in litem,
per text. l. 5. ff. depos. à contrario sensu: quamvis regulariter
 in actionibus contrariis non datur iuramentum in litem,
 sed in directis bonæ fidei. 3. Dolus debitoris: si pro auro
 æs dederit *l. 36. b. t. l. 1. §. 2. eod.* si per fallaciam à Creditore,
 quasi soluturus, pignora receperit *per text. expres. in l. 3. ff. de
 pign. act.*


Hæc sunt, quæ de præsentî materia subtili lateq; pa-
 tente ingenii mei tenuitas calamo hac vice dictare potis
 fuit, successu temporis uberiora & maturiora pollicitans.
 Deo æterno & soli sapienti sit Laus & Honor
 in omnem æternitatem.

An den
 Wol-gelahrten und Tugend-wol-ergebenen
 Herrn Daniel Boots, LL. Studios., als er seine /
 de Pignoratitia actione, Disputation
 beförderte.

En wol-beseelter Geist / der Himmel-an sich schwinget /
 Wo Kunst und Tugend wohnt / und durch die Zeiten dringet /
 Bleibt nimmer unbegabt: bekömt zu reichem Lohn
 Für unverdroßner Müh' ein wol-gezierte Kron.
 Euch wird noch / werther Freund / der Musen-Hauff bekrönen
 Mit grüner Lorbeer-Blüht. Euch fliehen die Sirenen /
 Weil Ihr sie selber flieht. Ihr sucht durch stetem Fleiß
 Der Tugend edlen Schatz. Eur hoch-gezierter Preis
 Geh wo die Sternen stehn / wo sich Bootes zeigt
 Und in den Lüfften prangt. Wol dem der also steigt
 Zum Kunst- und Ehren-sitz / verbleibt in keiner Ruh /
 Bis daß sein Abend-Stern Ihm druck die Augen zu.

Dieses wünschet seinem viel-gehrten Herrn vnd Freund

Joh. Esich Bremensis.



00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244



R

Worm







B.I.G.

Farbkarte #13

N. J. 13.

O JURIDICA,
ff. & C.

RATITIA
NE VEL
TRA.

ante Majestate,
lt &
sima Facultatis Juridica
autoritate,

LI VIADRINA,
raesidio
Viri

sultissimi & Excellentissimi

AI DECHERI

rofesl. dignissimi,
ris, ut & hospitis sui impendio
onorandi:

ventilationi officiose
mittit

OTS Hamburgensis,
& R.

b. loco horisq₃ solitis.

an. Ernestus Acad. Typographus,
DC LIII.

